

SANCTITATIS GIGAS
Panegyrico expressus in Festo
S. IVONIS PRESB. PAVPERVM ADVOCATI
AD S. R. E. CARD.

Ab Alexandro Petruccio Eretino Sem. Rom. Cler.
XIIII KAL. IVNII AN. MDCXLIII

Valerianus Regnat... f.

361

ILLVSTR.^{MO} ATQVE EXCELL.^{MO}

PRINCIPI

NICOLAO BARBERINO

VRBANI VIII.



Pont. Max. Nepotis Filio.

Equiti Hierosolym. Fani Priori.



ALEXANDER PETRVCCIVS SEM. ROM. CLER. F.



XPRESSVS à me paulò ante in laudatione Sancti Iuonis, *exceptusq; cum plausu SANCTITATIS GIGAS, iterum vocatur in lucem, Illustrissime, atque Excellentissime Princeps, & redditur palàm congeminatione gratissima, non à pennicillo Pictoris, sed à prælo Typographi: neque enim audientium aures, præclaræ imaginis magnitudinem æstimare satis posse videbantur, nisi etiam legentium oculi subiectam sibi fideliter recognoscerent, atque vltimam maturè sententiam ferrent, longo æuo permansuram. Ego sanè necesse habui dum dicerem, non orationem protrahere ad molem Gigantis, sed potius è conuerso, granditatem huius ad præconij tenuitatem contrahere: nunc autem eiusmodi effigies (quæ ad vo-*

latum verborum irreuocabilem, vel euanuit omninò, vel cecidit) dum ex typis resurgit, sedem nacta est sibi parem, in splendore Tui nominis, atque in amplissima luce BARBERINAE *familiæ, vnde faciliùs conspici, tanquam in bono lumine, potest, & citrà vmbrarum impedimenta spectari. Tibi quidem illa dedicatur, ad ætatem istam, quam adhuc tenerrimam geris, nullatenus coarctanda; quoniam vel in ipsa pueritia, non mole corporis, sed animi indole gigantem imitaris, ab eo nimirum ortus sanguine, ex quo nihil non maximum nasci iam potest. Ex* BARBERINIS *Principibus, quorum in clientelam sum adscitus, Tu præcipuè fuisti mihi in Patronum optandus, cui exhibitus à Parente mea famulatus, me arctiori nexu seruitutis addixit. Patere igitur Tuo nomine meum hunc libellum insigniri, in quo non tam Iouianæ magnitudinis simulacrum licebit contemplari; quam similem Tibi gloriam augurari, dum insita pueritiæ Tuæ, virtutum semina maximarum ostendis. Vale.*



ORA-

ORATIO.



VONEM ſuſcepto paupertatis patrocinio nobilem, non minus iuſtitiæ Magiſtrum in foro, quam religionis in templo, Sacerdotibus æquè, ac Iureconſultis exemplum, ad clepſydram laudare, pro meritis, nulla poteſt eloquentiæ vis, nulla facultas ingenij: vbi enim laudum copia vltrà conceſſum dicendi ſpatium longè feratur, debet oratio citius amputari, quam perfici. Quamobrem ex Veterum inſtituto, ſolennem ego Sanctiſſimi Viri exornationem aggreſſus, breuiter abſoluendam, vt tempori magis, quam rebus præconium accommodem, cogor paucis multa complecti. Et ſanè publicus Iuonis præco conſtitutus ad hunc veſtrum conſeſſum; Cardinales Eminentiſſimi; opto potiſſimum in eiuſmodi cauſa, non melleam Neſtoris, in dicendo dulcedinem, non catenulas aureas ab Herculis ore prodeuntes, non Vlyſſis niues leniter profluentes in verba, non Periclis fulgura, non Iſocratis flores, non Demoſthenis neruos, non Tullij vbertatem; ſed artificis cuiuſdam ingenium, qui ſcitè admodum, & expreſsè delineaſſe fertur in minima annuli gemma vaſtæ molis Gigantem; itá quidem, vt perangustus orbiculus ad artis miraculum membrorum exprimeret magnitudinem humana maiorem; neque (quod olim facere conſueuit Procuſtes) iconem giganteam ad lectuli breuitatem vlla ex parte minueret. Atqui Iuonem paritura Mater viſa ſibi per quietem eſt, vt aiunt, Gigantem eniti, opportuno præſagio ſanctitatis, virtutibus, atque prodigijs illuſtrandæ. Nam vt ex Græcorum hiſtorijs oblata quondam Aſtyagi Medorum Regi per ſomnium vitis, quæ naſcens ab

Plutar. in Romul.

Petr. Chauet in vita S. Iuon. cap. 117.

Iuſtin. lib. 1

vtero Filiæ palmites ad orientem vſque protenderet, futurum Cyri nepotis imperium auo ſignificabat; vt ex Romanis monumentis Actia Augusti mater, non ſolùm viſo inſomnis, ſed ſubitis alui maculis expreſſo Dracone, conceptum à ſe filium terrendis barbaris, atque orbi propemodum deuorando proditurum intellexit; vt denique ſanctiore oſtento Chriſtianorum annales tradunt circumuectam à cane faculam Dominici natalibus præluxiſſe, ad illius argumentum incendij, quod vir Deo plenus in cordibus per ſacras conciones erat excitaturus: itâ prorſus ſanctitatem Iuonis eximiam, obiecta eius parenti per ſomnum Gigantis ſpecies imminente iam partu, haud obſcurè notabat; qui primum Gigas immanium loco membrorum, & roboris inuſitati, virtutes habiturus eſſet vltrà menſuram, & numerum magnas; deinde patratis vbique miraculis ad geminum mundi cardinem, atque ad ſublime cæli faſtigium peruenturus. Exponam ergo paucis vtramque partem, vt Iuo, qualis matri antè natalem apparuit, oratione breuiſſima, tanquam vnius ductu lineæ, maximus exprimatur.

Suet. in Aug. cap. 94.

Ex Annal. Ord. Præd.

Iuo ex virtutibus & miraculis Gigas.

Ordiamur à virtutibus, quæ ſunt Gigantis huiuſce membra quædam adeò magna, vt illis terreri me videam hærente faucibus voce; & quidem (quod formari primum in hominis molitione tradidit Stagirita) cor exhibebit abſolutiſſimum charitas in Iuone præcipua, Chriſtianæ *vinculum perfectionis* ex Paulo. Vix enim firmato veſtigio ambulare cœpit inter mortales puer, vix compreſſis infantiæ vagitibus didicit per voces animi ſenſa depromere, vix liber euaſit è cunarum anguſtijs, aut è vinculis faſciarum; cum præoccupata vitæ melioris maturitate, annis, & corpore immaturus addixit ſe cælitibus totum, ſuique oblitus, vni Deo viuere feſtinauit. Abſtractum à matris vberibus diuinus Amor nutricius idem optimus, & magiſter in ſchola pietatis erudijt, & per vias adoleſcentiæ lubricas ſine

Ariſt. lib. 3. de part.

S. Paul. ad Coloſſ. 3.

In Iuonis charitate, Gigantis exhibetur cor.

ne

ne vllo casu, aut prolapsione adeò continuit in gradu, vt perpetuum virginalis integritatis,& innocentiæ sectatorem dimiserit nunquam. Tanto sub magistro, tanquam in Midæ manibus,aureum euasit Iuonis cor, exclusis voluptatum illecebris, quæ candorem animi, morumque deprauant; neque enim cum plerisque mortalium hæsit in luto, sed subita alarum explicatione multò felicius, quàm compactilis Architæ columba in cælum euolauit: intimo deinde sinu diuinitatis exceptum, nobiliore artificio, quam olim Aspendius ille fidicen, intus canere didicit; tacere iussis omninò Sirenum cantibus, quæ iuuentuti exitium moliuntur, adeò vt septem ipsos dies orando transegisse legatur: magnum profectò cor,quod in terra parem sibi sedem nullam inuenit, sed in arcam diuini pectoris, vbi thesaurum habuit, suo quasi iure penetrauit.

Natal.Com. Mythol. lib. 6. cap. 15.

Aul.Gell.lib. 10. cap. 12.

Cicer.Verr. 6.

At caput non minus,quam cor in Gigante requiritis Auditores. Ego verò in hanc laudem vocare non dubitauerim sapientissimè administratam ab Iuone iustitiam, quam virtutem esse maximè capitalem nemo negabit. Etenim ius dicere ex legum iustissimarum præscripto,suum vnicuique tribuere, in dubijs sententiam ferre, componere litigantium dissidia, describere criminibus pœnas, statuere sontibus supplicia, reos absoluere, furta repetere, iniurias vindicare, arcere vim publicam, exercere iudicia, iustitiæ sunt opera, quibus implendis Plato præcipua Reipublicæ capita seligebat. Et quidem satis virium ad censendi potestatem habebat Iuo, quem artes bonæ, quem liberalia studia, quem iuris, legumque peritia, quem anteactæ vitæ rationes à principe regula nullatenus aberrantes, quem in pectus illapsi religionis igniculi commendabant. Nam ad ponenda tyrocinia scientiarum Lutetiæ primum excultus humaniore litteratura, edoctus philosophiæ naturalis arcana, & sacrarum cognitione doctrinarum imbutus: deinde

Sapienter administrata iustitia Gigātis est caput.

Plato de Rep.

inde Aureliæ in adyta Iurisprudentiæ receptus, ſpectatæ vir ſanctimoniæ, atque eruditionis à Rhedonenſi ſemel, iterum ab Antiſtite Trecorenſi aſſumitur in paſtorali animorum procuratione vicarius. [Quare cauſarum in ſacro foro publicus cognitor, quæſitor, & arbiter conſtitutus, ad prouinciam aleæ periculoſæ plenam fideliter obeundam, neceſſe non habuit educere ab antiquitatis viſceribus Cambyſis Perſarum Regis exemplum, qui Siſani corrupti iudicij reo pelle detracta, Iudicum ſubſellia iuſſit insterni], vt à flagitio continerentur cæteri, quibus forent in poſterum ſummarum rerum calculi permittendi; nam diuini imago iudicij altius animo conſignata, & poſtremæ ſententiæ ratio, diu, noctuque meditando recognita, vel à minimis in iudicando labeculis optimam Iuonis mentem, quam longiſſimè auocabat. Tuba illa cæleſtis mortuos è ſepulchris excitatura eius auribus (vt quodam Stridonienſi Hieronymo) præludia quædam in dies fragoris vltimi faciebat, & perinde quaſi ſingulis Iuonem momentis ſiſteret iudici Deo, ad eundem perpetuò perſonabat. Itaque ſententiam pronunciaturus, oborta diuinitus luce rem omnem ad examen vocatam æqua lance pendebat, fundebat preces, ſoluebatur in lachrymas, æternæ oraculum Sapientiæ conſulebat; donec, quaſi ex Democriti puteo veritatem expiſcatus, bono in lumine collocaret. Si quando ſpoliare pauperem bonis in pænam admiſſi criminis cogeretur, ità clementiam nouerat accommodare iuſtitiæ, vt æquè ſuſtineret Iudicis perſonam & Patris, dum quantum abſtulerat egeno ſententia per iuſtitiam, tantumdem de ſuo voluntas per miſericordiam illi reponeret. Neque iam ſoli Locrenſes commemorabunt mihi Zaleucum, qui alterum ſibi oculum, filio reo alterum effodi iuſſerit, vt lex ab adoleſcente violata vindicem Regem haberet, eumdemque miſericordem Patrem filius experiretur: habet nimirùm

Herod. lib. 5.

S. Hier. lib. 1. contr. Ruff.

Valer. Max. lib. 9. cap. 5.

rùm Iuonem Gallia, qui reos pauperes de re pecuniaria disceptantes, ità ad solutionem adegerit æris alieni, vt suis quoque facultatibus omnem ex multa iacturam vltrò damnatorum inopiæ compensarit. O iustitiam ad leges exactam, sed clementiæ prorsus affinem, eàque ex amoris præscripto terminatam! Equidem intueor in hac vna virtute Gigantis caput suos vltrà terminos extensum, ex cuius mensura melius, quàm ex pede colligere licet quanta laudato Colosso sint membra.

Sed an Iuoni vox defuit tonitruo par, qualem in Gigantibus Poëtæ commenti sunt? an linguam in eo desiderabimus suprà vires forensium Oratorum vehementem, & efficacem? hominem aspicite deposita iudicandi prouincia inter Patronos adlectum, imò pro solis pauperibus, nulla nisi à Deo sperata mercede apud Iudices perorantem. Aurea illi quidem in rostris eloquentia fuit, quæ tamen non auro foret emenda, sed precibus egenorum: supplices horum libellos ex remotioribus partibus tanquam alis columbarum delatos, ad se vnum confluere gaudebat. Quare defensa sæpius liberali patrocinio paupertas, specioso illum titulo Aduocati pauperum decorauit suprà veterem gloriam, qua deuictæ olim vrbes, populi in seruitutem accepti, expugnatæ regiones peculiaria Romanis Ducibus cognomina tradiderunt. At in eiusmodi causis Iuonis non modo studium, & diligentiam, sed in omnes planè formas versatilem eloquentiam referre pro meritis, & laudare pro dignitate non possum; nouerat enim è superiore loco, cum præstantissimis Oratorum ad Iudices non verba torquere, sed fulmina; sæpè (vt apud Areopagitas) rationum momentis pugnare, non arte; interdum confugere ad vim dicendi, aut præditam artificio non vulgari facundiam: nouerat copiosè loqui cum Atticis, cum Laconicis presè, cum Homerico Menelao limatè, cum

Eloquentia forensis, & sacra, Iuonis est lingua.

Ex Liu. Tacit. Suet. & alijs.

Iul. Poll. lib. 8.

Ex Homer. Iliad. & Odyss.

Ne-

Ex Cic. lib. 3 de Orat.

Nestore suauiter, molliter cum Vlysse, perpolitè cum Lysia, cum Isocrate floridè, cum Gorgia numerosè, cum Africano grauiter, leniter cum Lelio, vehementer cum Antonio, cum Crasso constanter nouerat orationem flectere, ac permutare cum Tullio, vt modò fluentem sine salebris in aquas diffunderet, modò incalescentem in ignes inflammaret, modò profunderet ornatam in flores, modò spargeret illuminatam in gemmas, modò pretiosam ac diuitem in auri pluuias eliquaret. Huius eloquentiæ vim verè flexanimam, & prodigiosè efficacem fuisse quis neget? Narrat Historicus non ignobilis, habitàsse ad meridiem homines, quibus linguæ à radicibus imis bifidæ multiplex vsus foret; dum satisfacere simul pluribus respondendo possent, atque enunciare diuersa. An sit hac in re scriptori fides habenda, viderint alij. Ego verum in Iuone miraculum deprehendo; nam pauperum causis dum studet impensius, dum ardentius tuetur eorum iura, dum ab ijsdem liberius propulsat iniurias, intereà audientibus etiam pietatem, ac religionem sensim inspirat; & alteris quidem collectas quasi de naufragio fortunas restituit; alteris verò aperit cælestium thesauros gratiarum. Non est igitur cur miremur, quamobrem Sacerdos integerrimus æquè feliciter in foro paupertatis ageret causam, ac virtutum in templo, vnde tanquam è theatro declamationum aculeos intendebat in vitia, Tartarorum monstra voce terrebat; profugam religionem, iustitiam peregrinam, eiectam afflictamque pietatem ab exilio reuocabat. Ab illo concionante sunt emendati toties ciuitatum mores, instaurati sacrorum cultus, euersa fraudum cubilia, opulentiorum ambitio castigata, sublata tenuiorum auaritia, licentia iuuentutis repressa, fracta prauè sentientium perfidia, subiectæ cordibus diuinarum institutionum faces, illatus animis Deus. Hæc nimirum opera, hæc victoriæ propè

Diodor. Sic. Rer. antiq. lib. 3. c. 13.

quo-

quotidianæ Oratoris erant, moribus non minus quàm vocibus declamantis; qui singulis ferè membris ad populum pro diuina gloria perorarer, cuius vita, tanquam lingua quædam, non strepitu verborum, sed rerum persanctè gestarum eloquentia personaret.

Verum à lingua transeamus ad manus, quas reperiemus in Gigante peramplas, & reliquarum partium magnitudini omninò conformes, nisi fortè illis caruisse Iuo dicendus est; quoniam ab Aegyptijs primum, deinde à Græcis Iudicum imagines absque manibus consueuere depingi, vt eiusmodi magistratus ratio notaretur, qui tunc incorruptus, & integer esse censetur, vbi Iudex ad oblata munera quasi mancus, & mutilus constantissimè perseueret. Attamen profusa in pauperes liberalitas, atque ad eos pascendos exhausta penitùs horrea, apothecæ condonatæ, annui reditus viritim in miseros distributi, exoneratæ pecunijs arcæ totæ, Iuonem nobis, vti Briareum alterum, verè centimanum exhibebunt; cum ille solitus esset quotidie in triuijs mendicos quærere Diogenis facula, excipere aut errabundos hospitio, aut lecto ægrotos, affundere pedibus aquam, adhibere mensis conuiuas, alere domi suæ familias integras, victum sibi, vestitumque detrahere, quò consuleret indigentibus, in horas denique singulas penum famelicis aperire. Quis non admiretur, & laudet adeò beneficas manus, quæ vsurpata non semel à Tito Cæsare querela, dicere nunquam verè potuerint à se perditum diem, Iure optimo ad giganteam amplitudinem videbantur extensæ, dum innumeros pauperum greges, quibus alendis vix terra par foret, munificè ac benignè foueret? Atqui tu Iuo sanctissime tanta in alios liberalitate profusus, in te ipsum vsque eò parcus deprehensus es, vt manus ad tuum commodum habere videreris planè nullas; saccum pro veste cilicinum, eumque durissimum tibi seposueras ad volunta-

Liberalissimæ Iuonis manus.

Stob. in serm.

Ex Laer. in Diog.

Sueton. in Tito.

luntariam corporis afflictationem; noctes orando traductæ quietem parabant, sed insomnem; at vbi necessitas vrgebat nuda cubabas humo, tuo sæpe respersa sanguine, quem expresserant flagra. Cum recurrerent Christianis legibus imperata ieiunia, pane tantùm & frigida victitabas. Nimis crudele bellum hoc erat, tibi vni illatum authore te, in quo iam canebat receptui destituta viribus ætas, sed nequaquam audiebatur. Manus istæ prodigæ simul, & parcæ, beneficentiam alijs exhibebant; vni tibi seueritatem, atque inopiam reseruabant.

Pedes Gigãtis nõ anguinei, sed anguium domitores. *Macro. lib. 1. cap. 20. Lampridius. Virg. in Aetna.*

Ego interim attonitus ad pedes descendo, quos & si Gigantibus anguineos, atque obtortis in spiras cruribus Draconi similes tribuebat olim Commodus Imperator ex vulgato Poëtæ commento.

——————— Ima per orbes
Squammeus intortos sinuat vestigia serpens.

Verumtamen nihil tale reperiam in Iuone, cuius itinera solum expressa leguntur ad diuini imitationem Gigantis, rectam in cælum viam, non obliquam, ac tortuosam suo exemplo docentis. Quare quemadmodum hic per spatia viarum longissima laboriosè decursa anguem humani generis hostem calcando compressit; ità consueuit alter eadem via sequutus tanti Ducis vestigia eludere serpentum insidias; & per illorum capita securus incedens, nullam timuit à veneno perniciem; occurrentia passim voluptatum oblectamenta despexit; auro, argentoque non est captus; splendorem generis, maiorum imagines, honorum insignia, tanquam inanes vmbras, & simulacra vanissima ne vidit quidem; denique per mille Stygiarum fraudum offendicula, nusquam titubante vestigio, peruenit ad metam.

Habetis Auditores Gigantem oratione mea delineatum; habetis ingentes Iuonis virtutes, immanium instar

mem-

membrorum vestris oculis minimo colorum ductu subiectas. Iam illum cælo maiorem, & mundo, vtpote Diuinitatis æmulum, in miraculis, quæ patrauit, aspicite. Tiphœum in fabulis legimus admirabili magnitudine præditum, sydera capite, & geminos orbis cardines manibus attingere, toto sinu mundi partes complecti, cæloque propè vim facere. At in elementa singula, vis, & potestas Iuoni diuinitus concessa, eorum meritò dici potest complexus quidam. Extendebat quocumque vir sanctus brachia; quocũque palmas intendebat prodigiorum feraces, ad quarum nutum, vt ad zephyri purioris afflatum terra, non semel floruit; excisæ ad templi molitionem arbores, & deiectæ, iterum radicibus solo defixis, sunt ad pristinam integritatem illicò restitutæ; relictus in horreo frumenti modius, ad vberrimam excreuit annonam; vnicus in mensa panis, congeminatione subita, plurium conuiuarum expleuit famem; cesserunt ab humanis corporibus ministri pænarum Spiritus; & sine Machaonis opera, aut viribus Æsculapij, morborum impetus sunt omninò repressi; mortui quoque ad decem, & septem, vitæ restituti. Præterea senserunt aquæ præsentem Iuonis manum, cum redundans ab imbrium, & niuium copia rapidissimus fluuius, vndas vtrimque recedere iussit, & liberam ab alluuione semitam transeunti reliquit. Iuonis etiam aspectu commotus aër, in eius gremium, plurium inspectante corona, placidissimas ad ludum immisit auiculas. Extensam denique viri dexteram ignis, rerum corporatarum voracissimus helluo, interdum extimuit; cum enim latè grassaretur in ædibus ciuitatis incendium, adeò vt ad totam ferè viciniam pestis pertineret, nec humanum sperari posset vllum in communi malo remedium; illuc à ciuium gemitibus vocatus Iuo, tùm fusis ad Deum precibus, tùm etiam obiecto Crucis signo vim flammarum extinxit. At etiam eius miracula perueuerunt

Magnitudo Gigantis ex miraculis. *Natal. Com. Mythol. lib. 5. cap. 21.*

Gen. 11. Natal. Com. Myth. lib. 5. cap. 21. nerunt in cælum : nam quò insana illa turris molitione niti contenderunt Gigantes, quò Superis infensi Titanes per aggestos montibus montes, quasi per gradus, bellum ferre conati sunt; eò noster hic Gigas, vel constitutus in terra, victricem manum iniecit; ità tamen, vt non tàm ipse dum viueret in cælum penetraret, quàm ad se Cælites Herculea veluti catena pertraheret. Quoties accepisse fertur hospitio Beatas Mentes, & mutuis earum collocutionibus interfuisse! Quoties Sanctos viros æternitatis in sinu regnantes, comites itinerum habuit, ac domi contubernales! Quoties Deum ipsum Cælitum Principem, humano sub aspectu domesticum sibi vidit, & familiarem! Quid significabat lapsa semel de cælo flamma supra caput Iuonis Christiano ritu sacrificantis, nisi illum humani generis Exod. 3. conditorem æternum, qui vocali sub incendio visus est Moysi quondam in rubo? Quid candidissima illa Columba notabat, quæ subito volatu ad eumdem accessit, excubantem in templo nocturnis precibus, nisi diuinum Spiri- Gen. 1. tum, qui ante mundi primordia aquis in similitudinem S. Hieronym. volucris incubabat? Quisnam erat pannosus ille mendicus, squallore, atque inopia miserabilis ad aspectum (quem Iuo foris semel, aduersus vim frigoris detracta sibi veste contexit, domi iterum mensæ suæ conuiuam adhibuit) nisi CHRISTVS DEI FILIVS amantissimus paupertatis? Hic enimuerò quàm subitò scenam mutauit! quàm à se diuersus apparuit! cum sordibus conuersis in lucem, ex obscuro clarissimus, ex deformi decorus, ex mendico diues, splendore locum, & hospitem iucunditate perfudit. Igitur Iuo pauperum pater, cæli expugnator egregius, cælestes ciues, eorumque Principem traxit ad se; dignus certè, qui cinctum immortali laurea caput, in illud æternæ gloriæ Capilium triumphalis Gigas inferret. At intulit tandem, quandò imminentem sibi mortem cecinit felicissimus olor, &

mor-

morbo correptus vltimo, nudis recubuit in paleis; vt vbi natus ab vtero Virginis, Gigas olim Diuinus, exultauerat ad stadia mortalitatis decurrenda, ibidem mortuus alter Gigas, liberum à carcere spiritum emitteret in gremium Diuinitatis. Proximis ferijs, post votiuam nostri Liberatoris in cælum ascendentis memoriam, obijsse ferunt Iuonem; vt nimirùm vel pompam triumphantis augeret, vel per expressam ab eius splendore galaxiam, triumphum duceret suum. Psal. 18.

Videant hìc seriò Iurisconsulti quàm bona, quàm felix, quàm gloriosa sit pauperum causa; videant quò prouexerit integerrimum Iudicem, & Sacerdotem sanctum defensa in tribunalibus paupertas, domi nutrita, quæsita in triuijs, liberata in periculis, in frigore conuestita, in casibus erecta, recreata in ærumnis, in vinculis redempta, in valetudinarijs subleuata. Admirentur ab auro diuitem magis donato, quàm accepto; in iudicijs rei alienæ defensorem acertimum, & prodigum largitorem suæ; seuerum in crimina, misericordem in reos; imitentur virum, sine vllius iniuria, obseruantissimum iuris; non ambitione ductum, aut lucri spe, sed amore iustitiæ; rectum in foro, pium in templo, parcum domi, foris liberalem, virtutum magnitudine præditum gigantea; staturæ, qua visus olim est parenti, sola sanctitate conformem. Gallia tanto nobilis partu, quamuis perampla, impar est eius famæ, omnium planè gentium linguis, & litteris celebrandæ: neque enim solis coronandus est lilijs, quem terrarum omnium flores, marium gemmæ, cælestium orbium sydera propè iam ambiunt. Itaque Clemens Summus Pontifex eius nominis Sextus, diuinitus è cælo præmonitus, expetitum à Regibus, probatum lectissimorum Patrum sententijs, & miraculis clarum, ritè Sanctorum ascripsit numero, & publicæ Christianorum venerationi palàm exposuit. En tibi Sacerdotum religiosissime, probatissime iudicum,

dicum, tribunalium gloria, iuris ornamentum, asylum paupertatis, Tibi, inquam, Iuo Roma nunc supplicat, Orbis caput te purpuratus iste Patrum consessus, te lectissimus Curiæ Romanæ Senatus implorat; atque ea sunt omnium vota, hoc in templo tuis meritis erecto, hac luce tuis addicta sacris, vt dum regnas in cælo, dum virtutibus, & prodigijs orbem imples, ab ijs potissimum, qui iudicijs vbique terrarum præsunt, exprimaris imitatione (vti nos oratione fecimus) SANCTITATIS GIGAS.

D I X I.

